Universitätsbibliothek Paderborn

Aluari Pelagij de pla[n]ctu eccl[es]ie desideratissimi libri duo et indice copiosissimo et marginarijs additionibus rece[n]s illustrati

Alvarus <Pelagius>

Lugduni, 1517

Handschriftenfragment

urn:nbn:de:hbz:466:1-29953

Visual Library

ministerii uix tutum in amicis e sinu inimicorum petere sustinuit. Cuius factum si tam placet necesse
est. L. etiam crassi qui apud maiores eloquentia clarissimus fuit propositum non displiceat. Nam
ex consule prouinciam galliam obtineret atque in eam .G. carbo cuius patrem damnauerat ad speculanda
acta sua uenisset. non solum eum inde non summouit. sed insuper locum ei in tribunali assignauit. nec
ulla de re nisi eo in consilium adhibito cognouit. Itaque acer et uehemens carbo nichil aliud gallica
peregrinatione consecutus est. quam ut animaduerteret item patrem suum ab integerrimo uiro in exi
lium missum. Cato uero superior sepe numero ab inimicis ad causae dictionem uocatus. nec ullo umquam
crimine conuictus. ad ultimum tantum fiduciae in sua innocentia reposuit. ut ab his in questionem pu
blicam deductus. Ti. gracchum a quo in administratione rei publice ad multum odium dissidebat iudicem
deposceret. qua quidem animi prestantia pertinaciam eorum insectandi se inhibuit. Eadem .M. scauri for
tuna. aeque senectus longa ac robusta. idem animus. qui cum pro rostris accusaretur quod ab rege mi
tridate ob rem publicam prodendam pecuniam accepisset. causam suam ita egit. Est enim iniquum quirites cum
inter alios uixerim. apud alios memorationem uite reddere. Sed tamen audebo uos quorum maior pars
honoribus et actis meis interesse non potuit interrogare. uarius seuerus ueronensis. emilium scaurum
regia mercede corruptum. imperium populi romani prodidisse ait. aemilius scaurus huic se adfinem esse culpe negat.
utri creditis. Cuius admiratione populus commotus. uarium ab illa dementissima actione pertinaci cla
more depulit. contra .M. antonius ille disertus. Non enim respuendo sed amplectendo cause dictio
nem quam innocens esset testatus est. Questor proficiscens in asiam brundisium iam peruenerat. Ubi litte
ris certior incesti se postulatum. apud L. cassium pretorem. cuius tribunal propter nimiam seueritatem
scopulus reorum dicebatur. cum id uitare beneficio legis memmiae liceret. que eorum qui rei publicae causa abessent
recipi nomina uetabat. in urbem tamen recurrit. que uota pleno fiduciae bonae consilio tum
absolutionem celerem. tum profectionem honestiorem consecutus est. Sunt et illa speciosae fiducie publica
exempla. Nam cum eo bello quod aduersus pyrrum gerebatur. kartaginienses .C. ac .XXX.ta nauium
classem in presidium romanis hostiam ultro misissent. senatui placuit et legatos ad ducem eorum ire qui
dicerent. populum romanum bella suscipere solere. que suo milite gerere posset. proinde classem kar
taginem reducerent. Idem post aliquot annos cannensi clade exhaustis romani imperii uiribus
supplimentum in hispaniam exercitum mittere ausus. fecit ne locus hostilium castrorum cum maxime capen
portam armis hannibalem pulsantem minoris ueniret quam si illum poeni non optinerent. Ita se ge
rere in aduersis rebus. quid aliud est quam seuientem fortunam in adiutorium sui pudore uictam con
uertere. Magno spacio diuisus est. a senatu ad poetam accium transitus. Ceterum ut ab eo decentius
ad externa transeamus. producatur in medium. Is iulio caesari amplissimo ac florentissimo uiro in
collegium poetarum uenienti. numquam assurrexit. Non maiestatis eius immemor. sed quod in compara
tionem communium studiorum aliquanto se superiorem esse confideret. Quapropter insolentiae crimine
caruit. quia ibi uoluminum non imaginum certamina exercebantur. Ne euripides quidem athenis
arrogans uisus est cum postulante ui populo ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret. progressus
in scaenam dixit se ut eum doceret non ut ab eo disceret fabulas componere solere. Laudanda pro
fecto fiducia est que estimationem sui certo pondere examinat. tantum sibi arrogans. quantum a contemptu
et insolentia distare satis est. Itaque etiam quod alcestidi tragico poete respondit probabile. apud quem cum
quereretur quod eo triduo non ultra tres uersus maximo impenso labore deducere potuisset. atque
is se centum perfacile scripsisse gloriaretur. Sed hoc inquit interest. quod tui in triduum tantummodo.